

exoriri deberet, oporteret hunc exoriri primo VIII et post hoc XIX aurei cycli numeris existentibus. Sed quoniam illi anni semper embolismales sunt, ut prae- habitum est, tunc praetacti numeri usque ad multos
 5 centenarios annorum potius tertiam decimam lunatio- nem quam primam ostenderent secundum regulam anti- quorum, quae in embolismalibus annis iubet non in Martio, sed (in) Aprili pascha celebrari. Quare conclu- ditur nostrum kalendarium modo praetacto correctum
 10 per omissionem bisexti in 304. anno ita registrari, quod tam in primationibus quam paschalibus festivitatis usque ad mille futuros annos et ultra veritatem ostendet secundum positiones modernorum magistrorum pro- bationum et eorum, qui ante nos fuere, (V,H) et secun-
 15 dum computum Iudaeorum et positionem eorum, quae habet, quod anticipatio aequinoctii fiat in 350 annis per diem unum; tunc ultra 6000 annorum cum Iudaeis con- cordabit.¹

Licet ex his omnibus humanis experimentis particu-
 20 lariter captis nulla ex motu luminarium de praeterito certitudo ad futura habeatur nisi quantum ordo et regularitas inventorum motuum praesumi de futuris permittit.

(V,H) Solet etiam a nonnullis obici, quod hic modus
 25 turbaret calculatores tabularum Alfonsii et laederet eos, qui contractus ad certam diem inierunt. Quibus faci- liter responderi potest, quod nulla harum causarum nos impedire debet, quominus in Dei ecclesia reformatio festorum fiat. Nam facile est calculatoribus ad hunc
 30 annum respicere et pro anno domini 1440 novas radices ponere sicuti etiam iam per quendam aera novi con- cillii pro eo anno reducta existat pro facilitate calcu- lationum ac perpetua memoria huius sacri concillii. Non enim posset maior concillii memoria haberi quam ex

3 Cf. p. 52,9 *sqq.* || 6 ostenderent *scripsi secundum* VH (ostenderet): ostendent CK σ || 8 in *add.* CK σ || 13 magistrorum probationum] *cf supra* p. 14,7; 16,2 || 20 luminarium] *cf. p.* 4,13 *et* 84,12 (lūariū CK, lunariū VH, luminariū σ). || 21 futura VH: futuras CK σ || 24 solet V: sole H || 28 impediri H ||